

CONSELLO DA CULTURA GALEGA
GALLAECIAE MONUMENTA HISTORICA

1045/ 11 / 11

88

Xoán Baldemariz e a súa muller, dóalle ó mosteiro de Celanova e ó seu abade Aloito a villa de Morgade en santa Eulalia de Berredo, gardándose o disfrute da mesma durante as súas vidas.

TC, fols. 35r. - 35v.

Sub nomine sancte et individue Trinitatis qui est sanctitas Patris et Filii videlicet et Spiritu Sancti. Ecce adcliens et exiguus famulus Dei Iohanne prolis Baldemari, una cum coniuge mea Ielvira in Domino Deo eternam salutem amen. Obinde placuit nobis spontanea nostra voluntas, ut faceremus vobis cartulam testamenti et ad domum Domini sancti Salvatoris et sanctorum apostolorum martirum atque confessorum et virginum, quorum reliquie sancte et venerande dinoscuntur in loco et aula Dei monasterii Cellenove, et vobis domno patri Aloyti abbati et fratribus vestris ibidem commorantes et in vita sancta perseverantes, salutem nobis semper eveniat a Domino amen. Ideo Domine / de quo tu nobis dare dignatus es, offerimus atque concedimus sepedicto monasterio ibidem villa nostra propria que vocitant Maurgati, quam abuimus de nostra ganantia, et iacet ipsa villa subtus castro Bisreto discurrente rivulo Sorice, vocabulo ecclesie sancti Mameti. Et abeo ego Ielvira ipsam villam per cartam quam mihi fecit inde ipse vir meus Iohannes Baldemariz in coniugio. Damus vobis ipsam villam ab integro cum omnia bona sua sic villam quomodo et cartam pro remedio anime nostre. Et dividet ipsa villa per terminum de Bisreto et de sancta Eolalia usque feret in illa vereda maiore. Concedimus vobis ipsam villam sicut nos obtinuimus eam in nostro iure cum omnibus intrinsecis vel adiuntionibus suis ubique illam potueritis invenire per suis locis et terminis antiquis, omnia ab integro concedimus vobis Deo et sanctis eius ut abeant inde servi ibidem commorantes temporale subsidium, et nos ante Deum premium incon vulsum, servata tamem ratione dum vita vixerimus, ut teneamus eam iuri nostro de manibus vestris per vestram benedictionem pro stipendio nostro, et post obitum vero nostrum restet ipsa villa integra post partem ipsius monasterii pro remedio animarum nostrarum. Ita ut ab odierno die et deinceps maneat ipsa villa de iuri nostro abrasa, et in iuri monasterii sit translata atque confirmata perpetualiter possidenda evo perhenni et secula cuncta. Oro et deprecor te sancte pater eterne omnipotentis Deus, ut hoc holocaustum nostrum sacratum et placidum efficiatur in oculis tuis. Et si quis Domine, quod fieri minime credimus, aliquis homo contra hoc factum nostrum venerit ad irrumpendum, tam nos quam de gente nostra propinquis vel extraneis, vel qualibet forma hominis inprimis sit excommunicatus et anatematus, et perpetua confusione multatus, et Iuda Christi traditore pari penas in eterna dampnatione. Et insuper pariet ipsam villam duplatam aut triplatam restituat monasterio ipso, et post parte regis aut iudici qui illam terram imperaverit aliut tantum quantum infringere quesierit. Et hec series testamenti plenum obtineat roborem.

Facta kartula testamenti III^o ydus Novembris. Era M LXXX III.

Ego Iohannes, prolis Baldemari, et Iulvira in hac kartula testamenti manus nostras roboravimus (signum).

Pro confirmans: Vimara Kaidiz cfr. Gemondo Vimaraz cfr. Salvatus Adaulfiz cfr. Guntino Nandulfiz cfr. Veremudo Leogildiz cfr. Magister Gaudinas cfr. Magister Ramirus cfr. Munnio Sendiniz cfr.

Pro testes: Magister Citi ts. Frater Alvaro ts. Sesoy ts. Donno ts. Pelagio ts. Gavino ts. Christoforo ts. Eita ts. Martino ts. Guntino ts.

Pelagius presbiter notuit (signum).

